

cf 951

/ Ignobilis ego ad te, excellentissime praesul, tanquam ad sacram anchoram, et ad tutissimum nostrae fidei, et religionis asyllum, vela navigii nostri vertere visum fuit. Precamur, obnixequae rogamus, ut pro ea, qua in cardinalium senatu fungeris potestate, nostram
5 sublevare digneris anxietatem, et deceptis in hoc regno multorum christianorum legionibus, a S.Sede Apostolica mihi pauperrimo famulo tuo digneris impetrare subsidium, et quam privilegiorum exopto confirmationem, solius tantum, post Deum auxilii favorem consequi merear, et obtinere. Nullam a me, neque a meis omnibus, qui Christi
10 sti membra sunt accepturus mercedem aliam, quam illam solam Domini nostri Iesu Christi, qui ore proprio dixit, Pauperes semper habebitis vobiscum, quibus cum volueritis, potestis bene facere, sed quod uni ex minimis feceritis mihi fecistis. Valeat Celsitudo tua (Illustrissime) ad Mathusalem annos.

15 Belnae Idibus Octobris anno salutifero 1609.

Ad eundem Illmum Cardinalem Panegyricum Carmen.

Insignis virtute Cato, Pompeius honore,

Tullius eloquio, relligione Numa.

Relligio, probitas, honor, et facundia tecum:

20 Sic tales homines quatuor unus habes.

Cur tibi tam lenis, cur tam iucunda senectus?

Libera quod vitiis tota iuventa fuit.

Cur tua iam gravibus virtus non frangitur annis

Nec patitur vitae deficientis onus?

25 Corpora mens, mentem virtus, Deus omnia servat,

Cur minuet vires longa senecta tuas?

At scimus, quoniam Deus est pietatis amator

Ventura auspicio prospera cuncta suo.

Plurima virtuti laus hic; at praemia nulla.

30 Nam Deus illius praemia solus habet.

Eximie claros cur ad virtutis honores

Ex humili plures vidimus esse loco?

Pauperibus virtus, quia sit sine dote maritis

Nubit, habet grandes sors opulenta viros.

35 Ex autogr. Franc.Gerard Xenodochii Belnensis Curialis et Primicerii sacerdotis.